

Ἀργειφόντης.

Scripsit Dr. phil. Otto Neckel.

In dissertatione quam equidem conscripsi „de nominibus graecis compositis, quorum prior pars casuum formas continet“ Lipsiae 1882, pag. 48—52 egi de Mercurii cognomine ἀργειφόντης. Postquam virorum doctorum sententias usque ad hunc diem prolatas refutavi, ipse contendi vocem ἀργειφόντης ortam esse ex voce ἀργειοφόντης neque aliud eam posse significare ac „δ τὸ ἀργεῖον φονεύων“ = „is qui splendidi aliquid interficit“. Quam significationem consentaneam esse Mercurio ψυχοπομπῷ demonstrare conatus sum et splendidum illud, quod interficit Mercurius, esse splendorem diei dixi.

Cui explicationi a nobis tentatae repugnare videntur illi loci, quibus de aliis usurpatum est compositum illud: Sophocles Apollinem appellasse fertur ἀργειφόντην, idem cognomen legitur in Alemanis fragmento 34 (ed. Bergkius, poët. lyr. III), ubi de Baccho videtur esse dictum. Minoris esset momenti, quod Parthenius Nicaenus Telephum ἀργειφόντην nominasse traditur, quia scriptor ille Alexandrini aevi est. — Num re vera Sophocles Apollini cognomen ἀργειφόντης indiderit dubium est. Locum Et. Gud. 72, 52 Nauckius, trag. fragm., Soph. fragm. 917 corruptum esse contendit; in anecd. Paris. IV, 60, 21 legitur:

Ἀργειφόντης δέ Ερμῆς παρ' Ομήρῳ καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ· ἐπεὶ δὲ Ἀπόλλωνος καὶ
Παρθενίῳ καὶ ἐπὶ τοῦ Τηλέφου,

quem locum Meinekius anal. Alex. pag. 286 exhibet hunc in modum:

Ἀργειφόντης δέ Ερμῆς παρ' Ομήρῳ καὶ παρὰ πολλοῖς· παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ
καὶ ἐπὶ τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ παρὰ Παρθενίῳ καὶ ἐπὶ τοῦ Τηλέφου.

Non recte, puto. Lenius certe remedium corruptelae praesto est, cum scribimus:

Ἀργειφόντης δέ Ερμῆς παρ' Ομήρῳ καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ· ἐπὶ δὲ Ἀπόλλωνος παρὰ
Παρθενίῳ καὶ ἐπὶ τοῦ Τηλέφου.

Quod si comprobas, Sophocles Homerum secutus — quod quidem nemini mirum videbitur — Mercurium, Parthenius autem Nicaenus Apollinem et Telephum ἀργειφόντην appellavit. Sed quoquo modo res se habet, quaerendum est num nostra explicatio in Apollinem cadere possit,

sive Sophocles sive Parthenius *ἀργειφόντην* eum appellavit. Quo iure solis deus possit appellari „splendidi interfector“ non facile intelleges; multo aptior videtur versio „hellschimmernd“, quam invenit Zacher de prioris nominum compositorum graecorum partis formatione, Hal. Sax. 1873 pag. 34, vel „durch Glanz tötend“ a Clemmio in Curtii Studiis VII, 34 prolata, quas virorum doctorum opiniones nos non comprobavimus cf. diss. pag. 49 seq. — At non diximus *ἀργειφόντην* eum esse qui splendorem diei vel solis interficit — quam explicationem in Mercurium quidem cadere contendimus —, sed omnino qui splendidum, splendidi aliquid interficit. Non igitur intellegimus cur non liceat occasione data *ἀργειφόντην* de alio deo usurpari, qui splendidi aliquid interficerat. Splendidum interficiens ille quoque appellari poterat, qui interficerat serpentem, quae graece nomine ab eadem radice repetito dicitur *ἀργῆς*. Qualis fuerit contextus loci Sophoclei — si modo Sophocli tribuendus est — nescimus, at non abs re esset quod suspicatus est Meinekius anal. Alexandr. p. 286: „Apollinem qui *ἀργειφόντην* appellavit Sophocles a Dindorfio neglectus forsan Pythonis anguis interfectorum intellegi voluit“ (cf. anecd. Paris. I. I. ἡ ὅτι ὅφει τὸν Πυθῶνα ἀνεῖλε), „quemadmodum Achaeus de Adrasto, draconis cuius morsu Opheltas periit interfector, dixerat *ἀργῆν ἔπειρνεν*“. Eodem modo Telepho *ἀργειφόντης* cognomen indidisse Parthenium Nicaenum Meinekius I. I. existimat hunc in modum pergens: „nec dubium mihi est quin etiam Parthenius qui Telephum *ἀργειφόντην* appellavit reconditam aliquam fabulam respexerit qua Telephus draconem interfecisse perhibebatur.“ *ἀργειφόντης* igitur his locis vertendum esse censeo „Schlangentöter“; ὁ τὸ *ἀργεῖον φορεῖον* est ille qui τὸ *ἀργεῖον θηρίον*, quod *ἀργῆς* appellatur, interficerat. —

Superest locus Alcmanis fr. 34 (ed. Bergkiius, poët. lyr. III):

Πολλάκι δ' ἐν κορυφαῖς ὀρέων, ὅκα
θεοῖσιν ἄδη πολύφαμος ἔσοτά,
χρύσιον ἄγγος ἔχοισα μέγαν σκήφον,
οἵα τε ποιμένες ἄνδρες ἔχουσιν,
χερσὶ λεόντειον γάλα θήσαο,
τυρὸν ἐτίρησας μέγαν ἄτρωντον ἀργειφόνταν.

Agitur hoc loco haud dubie de comite aliqua Bacchi, — quae Bergkii quoque est sententia. *ἀργειφόνταν* accusativus coniectura est Welckeri. Quae si vera est, caseum appellavit poeta *ἀργειφόντην*; id certe esset „hellschimmernd“. Sed codices Athenaei, apud quem fragmentum illud exhibetur, praebent *ἀργειφόνται*, *ἀργειφεονται*, quorum auctoritate dativum et formam diphthongo ει scriptam retinendam esse existimo. Tum Bacchum intellegi voluit poeta; fortasse etiam scripsit *ἀργειφόντη*, quam formam correpta ante vocalem diphthongo ει metrum dactylicum non respuit. *ἀργειφόντα* dixisse Alcmanem correpta antepaenultima Bergkiius non mihi persuasit. Nam primum quidem nihil est quod testetur dactylis cyclicis qui dicuntur usum esse poetam. Stropha constat e tetrapodiis dactylicis et clauditur — nam hunc versum strophae novissimum esse Bergkio concedo — hexapodia dactylica. Tum Bergkii sententia

non fulciri mihi videtur loco grammatici Hamburgensis ab eo citati. Locus ille corruptela laborat:

Philolog. X, 350: *τὰ παρὰ τῇ γραφῇ διαφορόνεντα· εἰσὶ ταῦτα· ἀργειφόντης· καὶ τύχος ἐν τηλέσας μέγαν ἀργύραν· ἀργυρόντα· εἴκελος ἀστεροπῆ καὶ τὸ ἵκελος κτλ.*

Emendavit Welcker, Mus. Rhen. X, 256:

τὰ παρὰ τῇ γραφῇ διαφορόνεντα· εἰσὶ ταῦτα· ἀργειφόντης καὶ τύχον ἐτύλησας μέγαν ἀργυρὸν ἀργυρόνταν· εἴκελος ἀστεροπῆ καὶ τὸ ἵκελος κτλ.

Ipse grammaticus dativum exhibit — nam *i* quod dicimus subscriptum deesse nihil refert, idem verbis *τῇ γραφῇ* deest —, qui casus codicum quoque auctoritate confirmatur. *εἰ* diphthongum codicum auctoritate commotus retinendam esse et errasse grammaticum existimo. Cuius sententia si vera esset, tamen non liceret concludere *i* illud breve esse, scriptura i. e. „durch die Schreibung“ dicit differre verba, non quantitate. Discremen illud scripturae notissimum est cf. *οὐρι-, ὄρει-* apud Euripidem cf. diss. pag. 47. Quibus de causis forma *ἀργειφόντα* (fortasse *ἀργειφόντης*) retinenda est.

Quo iure Bacchus dicatur splendidi interfector difficile est ad cognoscendum. Fabula, ex qua Bacchus serpentem interfecit, nobis non traditur; fieri quidem potest ut Graecis sive Alcmani eiusmodi fabula nota fuerit. Cum Bacchi natura et indole — cf. quae de ea disseruit Preller, gr. Myth. I, 519 seq. — congrueret ea quam de Mercurio statuimus explicatio: *ὁ τὸ ἀργεῖον φορεύων* esset ille qui splendorem — non diei, ut Mercurius, — sed anni sive veris interficit.

Vidimus his quoque locis a nobis tractatis explicationem nostram non modo non labefieri, sed fulciri et confirmari. Quam quidem veram esse quis in re obscura et dubia contendere audeat? Si non ab omni veritatis specie eam abhorrire confiteberis, contentus ero.